



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. An aliquando Conjuges tenentur petere debitum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

quia petens hîc & nunc non potest talem actum licitè facere, & per votum amisit usum sui juris; cum non possit habere jus ad peccandum: ergo non licet ei cooperari. Suaudent autem ut compars, quæ non vovit, petat dum prævidet à vovente petendum, & tum utrique licita est copula. Si vovens prævenierit, alter dicat petenti, volo ego, ut tu mihi reddas. Quòd si petens contraxit affinitatem cum conjuge per incestum ipsi notum, non licet debitum reddere: quia potest ei justè negari, cum jus petendi amiserit; unde reddere esset mortaliter cooperari ejus peccato.

Si verò usus conjugii sit solum venialis ex parte petentis, ut si petat ob voluptatem, reddi debet graviter exigenti, ne petens exponatur periculo graviùs peccandi, & detur occasio rixarum, odii, &c. nec tunc censetur moraliter cooperari culpæ alterius: quia copula potest aliter peti, & hîc & nunc licitè exerceri, estque gravis causa reddendi. Si autem peteret situ vel modo non consueto & venialiter malo, juxta multos, potest & debet reddi, si non possit petens adduci ad aliter coeundum, & sit periculum ne graviùs peccet si denegetur: juxta alios non tenetur reddere, quia non petit modo debito & naturali, nec habet jus ad copulam tali modo exercendam.

*Q. 4. An aliquando Conjuges tenentur petere debitum?*

*Resp. Non tenentur per se loquendò: quia nemo*

nemo per se loquendo tenetur uti jure suo, quod pro se introductum est, *cum liberum sit unicuique suo juri renunciare*, c. 6. de Privil. At tenentur per accidens 1. Si alter, præsertim uxor, ex signis vel ex dispositione videatur cupere hoc remedium, licet ex verecundia taceat. S. Th. in .dist. 32. a. 2. nam tunc potius debitum redditur petenti implicite seu interpretative. 2. Si alioqui sit periculum incontinentiæ in comparte: nam quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, cum facile potest. 3. Si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. 4. Si prolis procreatio necessaria sit ad avertendum grave damnum præsertim religionis vel reip.

Q. 5. *An licet exigere usum conjugii præcisè ad vitandam in se incontinentiam, ut pollutionem, adulterium, quamvis nulla sit spes prolis gignendæ?*

Resp. Juxta multos licet, quia 1. Matrimonium secundariò institutum est in remedium concupiscentiæ ex 1. Cor. 7. Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unusquisque suum virum habeat. . . . Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. 2. Licite & approbante Ecclesia contrahunt senes, quibus ob senium nulla est spes suscipiendæ prolis. 3. Sicut est actus licitus & charitatis exigere debitum ad impediendam incontinentiam comp-